



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Leorini Silesii Etesiae, siue Apinae
Therinae**

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1581

VD16 R 1419

II. Ad Ioannem Posthiu[m] Med. De Etesijs suis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12434

Musarum cultor pariter, domitorque ferarum
Magnus ut Alcides, tu simul esse potes.
Sis bonus ô, vati que faue tibi magne fauenti
Marchio: quæque legis, consule quæso bono.

II.

Ad Ioannem Posthiū Me

De Etesijs suis.

Dum sicco cane terra feruet: atque
Crescens præripitur seges: diebus
Musæ quæ faciles Etesiarum
Nuper carmina fortè dictitârunt:
POSTHI, si madida nozem papyro:
Cur indignè Etesias vocari?

Sint ô sint modo Etesia salubres:
Et curas mihi temperent molestas:
Nec solùm mihi, sed meis patronis,
Et cunctis reliquis meis amicis:
Quorum nomina continet libellus.
Auræ sicut Etesia salubres,
Sicco sub cane, temperant calores
Aestatis nimios: suoque flatu
Languentes recreant, fouentque plantas:
Aut herbas vario colore pictas:
Et cæli volucres, marisque pisces:
Et quicquid pecudum vsquam vagatur.

Tunc nomen poterunt Etesiarum
Indelebile forsitan tueri.

III.

E Græco.

Principij nec certa, nec est satis vlla probata
Regula. tu finem prospice, certus eris.

IV.

Ad D. Phlippum Ludouicū
Com. Pal. Rheni, & Ducem
Bauariæ.

Dum calet, & medio Sol est altissimus orbe:

Et micat Icarij stella, PHILIPPE, canis:

In nemus ire iuuat: celsosque in cornua ceruos

Figere: seu pedicis fallere, sine plagis.

Sunt comites fratres ambo FRIDERICVS, &
(OTTO

HENRICVS, patriæ splendor vterq; domus.

Illustris nec abest coniux, ceu magna Diana,

ANNA: pari que fide BARBARA iuncta
(soror.

Circumstant equites, sed operti frondibus omnes

Arboreis: medij quæ patet æquor agri.

Sic prædæ ceruos intenti Marte fatigant:

Ac noua militiæ sic simulacra cient.

Consonat omne nemus magno clamore virorum:

Latratu que canum consonat omne nemus

A 3 Sic